

Handwritten text on the right edge of the page, including numbers and symbols, partially obscured by the binding.



QUÆSTIONES QUATERNÆ ^{XX} 701
De
OBLIGATIONUM EX
CONSENSU SPECIEBUS QUATUOR:

VIDELICET 1630/7
EMPTIONE - VENDITIONE;
LOCATIONE - CONDUCTIONE;
SOCIETATE;
&
MANDATO

Quas

*Auspice sacrosancta Trinitate
Præside*

Viro Amplissimo & Consultissimo

DN. GEORGIO - DAVIDE LOCAMERO
U.J.D. CELEBERRIMO ET IN UNIVERSITATE
Argentoratensi Pandectarum Professore Publico acutissimo
& pro tempore spectabili Juridicæ facultatis DECANO
meritissimo, Præceptore, Fautore & Patrono suo
nunquam intermorituro observantiæ
cultu prosequendo,

Publica censura ac velitationi exponit Mense Junio d.

JOHANNES LUDOVICUS EBENIUS
MEMMINGENSIS.

ARGENTORATI.

Typis WILHELMI CHRISTIANI GLASERI,
Academiæ Typographi.

M. DC. XXX.

QUESTIONES QUATUOR
OBLIGATIONUM EX
CONSENSU QUATUOR

QUESTIONES QUATUOR
OBLIGATIONUM EX
CONSENSU QUATUOR
QUESTIONES QUATUOR
OBLIGATIONUM EX
CONSENSU QUATUOR



DR. GEORGIO DAVIDE LOCAMERO
HABITANTE IN URBE
MONTIS CAESI
ACADEMIAE TYRONENSIS
PROFESSORE

JOHANNES LUDOVICUS EBBIVS
ACADEMIAE TYRONENSIS
ACADEMIAE TYRONENSIS
ACADEMIAE TYRONENSIS





Quæstio I.

An liceat sub sola amissione Arrharum à contracta Emptione Venditione Recedere?

IN casu Emptionis & venditionis perfectæ, & Arrhis datis, emptor vel venditor, recusat adimplere contractum, quæstio est quid Juris? Quidam docent, hoc in casu ad id quod interest, actionem non esse dandam, sed arrhas tantum datas amitti, aut duplum earum reddi oportere, ita *Salic. in l. contractus §. illud. Cod. de Fid. Instrument. Anton. Gomez. variar. Resolut. Jur. Tit. de Empt. & Vend. num. 18. Udalricus Zasius lib. 2. sing. Rnsp. c. 24.* stabiliuntque hanc suam opinionem *ex pr. Inst. de Empt. & Vend. verbis istis, ita tamen impune eis recedere concedimus nisi jam arrharum nomine aliquid fuerit datum, hoc enim subsequuto, sive in scriptis sive sine scriptis Venditio celebrata est, is qui recusat ad implere contractum, siquidem est emptor, perdit quod dedit si venditor duplum restituere compellitur & ex l. contractus 17. §. illud Cod. de Fid. Instrum.* Contraria. a. sententia mihi magis placet. Cujus primam rationem, desumo ex *l. ii. §. 6. ff. de A. E.* quod videlicet Arrharum datio ab Emptione Venditione singularis & distinctus contractus sit, & hujus vigoris, ut vel metu amissionis, vel in duplum restitutionis, ad contractum aliquem implendum vel perficiendum obliget. Proinde nihil periculi creat nostro speciali contractui, utpote qui & causa finali & effectu ab altero distinctus est. Secundam rationem ex *l. 35. pr. ff. de contrah. Empt.* eruo, ex quo loco apparet, quod arrha non sit de essentia hujus contractus. Et perfici sanè potest emptio venditio licet Arrha non sit data; modò ista tria substantialia adsint: nempè res, precium, & de commutandis istis consensus: horum verò uno deficiente, deficit totum: *Inst. de Empt. Vend. §. 3.* quemadmodum & si in scriptis

207
fieri emptionem contrahentes voluerunt, instrumento nondum conscripto nec omnibus numeris absoluto, emptio adhuc nulla est. *d. pr. Empt. Vend. l. 17. Cod. de Fid. Instr.* Arrha verò sæpè probat conventum esse de precio, *d. l. quod sæpè. 25. pr. d. contr. Empt. & §. 4. 3. Inst. h. l.* Tertiam rationem sumo ex eo, quod secus si statuatur, even- turum illud sit, ut quod pro validitate contractus introductum est, interpretatione ad ejus infirmationem detorquatur, quod fieri non debet. *arg. l. plures. 19. in fin. C. de fid. instr. l. 6. C. de legib.* Ne- mini igitur licet etiam sub amissione arrharū semel obligationi con- stitutæ, alterâ parte non consentiente, rennciare: ut constat ex *l. si- cut 5. C. d. O. & A. l. 3. Cod. de rescind. Vend. verb. de contractu Ven- ditionis jure perfecto alterutro invito nullo recedi tempore bona fides patitur.* Super est igitur, si aliæ causæ de rescindenda venditione non sint in promptu, & sit quæstio de emptione perfectâ; quod sub sola Arrharum amissione impunè ab emptione recedi non possit, si verò quæstio sit de Emptione imperfectâ, veluti si præparatoria tantum contractus intervenerint, vel nondum completum fuerit Instru- mentum; tunc omninò liceat Emptori à contractu discedere etiam invito venditore: & contrâ, Venditori, invito Emptore; ut tamen ille arrhas quas dedit perdat; hîc verò duplicatas eas reddere cogatur. *Inst. de Empt. & Vend. versic. ita tamen & pr. l. 17. §. illud. Cod. de Fide Instrument.*

Quæstio II.

Num venditor potestatem rei Venditæ tradendæ ha- bens eam præcisè tradere teneatur, an verò præ- stando id quod emptoris interest liberetur?

Pro præcisa rei tradendæ necessitate facit primò, quod pacta omni- nò sint servanda. *l. 1. pr. ff. de pact. l. 1. de const. pec.* Deinde quod in- vestiturâ factâ, ad Feudum tradendum, dominus compelli possit, nec liberetur præstando id quod interest. *c. ult. §. si facta, si de Feudo de- functi contentio sit. 2. F. 26.* Tum quod Venditor non tantum trade- re: Sed etiam in possessionem vacuam mittere Emptorem debeat. *l. 18. §. 1. l. 68. §. ult. de contr. empt.* Quartò, quod aliud pro alio solvi non possit *l. 2. in fin. ff. si cert. pet.* Quintò quòd in *l. ex empto II. §. & in primis ipsam ff. d. & A. E.* dicitur, in primis ipsam rem præstare
Vendi-

Venditorem oportet item, in *l. Fistulas §. fundum. ff. d. contrah. Empt. l. magis puto. §. si Pater ff. de rebus eorum &c.* rem ipsam tradi oportere: quod vocabulum notandum, quod præcisam coactionem importet. Sexto ex *§. perficiuntur Inst. de Donat* ibi, & ad Exemplum *Venditionis, nostra constitutio eas etiam habere in se necessitatem traditionis voluit*, item ex *§. precium n. Inst. h. t. ibi, omninò tradatur.* Pro qua etiam sententia videantur. Bartol. & Castr. *ad l. 1. ff. d. A. E. Alex. Dec. & Jason. ad l. certi condictio ff. si certum petatur*, Fabius à Monte *de Empt. Vend. in 6. q. pr. n. 38. Pinel. ad l. 1. Cod. de bon. Mat. p. 3. n. 26. Couvar. lib. 2. Variar. Resol. c. 19. Bocer. Clas. 2. Diss. 3. 0. 69. And. Gail. lib. 2. Obs. 6. n. 5. 6. 7. Hippolyt. Riminald. ad §. 1. n. u. 48. Inst. eod. lit. Schrad. de Feud. part. 10. f. 1. nu. 162. Johan. Fab. in §. 1. nu. 9. cum duobus seqq. Gomez. com. 2. Variar. resol. c. 10. nu. 22. vers. septimus casus 1. &c. Joh. Coras. lib. 2. Micell. jur. civil. c. 3. nu. 7. Osvald. Hilling. in not. ad Donell. lib. 13. com. c. 2. lit. A. & lib. 25. Com. 3. lib. 6. &c.* Verùm illam præcisam necessitatem remittunt, & in præstatione ejus quod emptoris interest acquiescunt, cùm leges, tùm Doctores alij. Et prima quidem est *l. 1. ff. de act. empt. generaliter indicans*, quod si res vendita non tradatur, ad id quod interest agatur. Secunda *l. si traditio. 4. Cod. eod. tit. verb. si traditio rei Vendite juxta Emptionis contractum procacia Venditoris non fiat, quanti interesse compleri emptionem &c.* Tertia *l. Exempto. 11. ff. de Act. Empt.* Quarta è *l. si jactum retis ff. eod. verb. si jactum retis emero & captos pisces piscator nolit tradere ad æstimationem rei agendum.* Quinta *l. contractus 17. Cod. de Fid. instrum.* Sexta *l. stipulationes non dividuntur. 72. vers. Celsus ff. d. V. O. ubi propositio*, In obligationibus faciendi, sufficit præstare quod interest. Atqui Venditor tenetur ad factum, nempe ad rem tradendam. *l. si stipulatus. ff. d. usur. l. si rem tradi. ff. d. V. O.* Ergò præcisè compelli non potest ad tradendum sed solvèdo quod Emptoris interest liberatur. Septima *l. vinum. ff. de reb. Credit. ubi quod aliud pro alio solvi possit.* Octava *l. 25. §. fin. ff. de contr. Empt.* ubi dicitur quod venditor non habeat necesse rem Emptoris facere: & perinde ad traditionem cogi non potest. Nona *l. si Venditione. 10. ff. de Eviçt. Decimal. 10. Quib. mod. pign. vel Hypoth. sol.* Accedunt Dd. Bulgar. Hugolin. Didac. Covarruv. *lib. 2. Var. resol. c. 19. nu. 1. Alciat. ad l. Unic. C. d. sentent. Vaud. lib. 1. Var. Quest. c. 9. Don. ad l. si quis. 13. §. fin. d. re jud. & ad l. si traditio 4. num. 14. Cod. d. act. Empt. Fachin. lib. 2. Controv. c. 30. Goed. d. Contr. sti-*

pul. c. 9. concl. 4. nu. 65. cum seqq. & A. Matth. in not. ad pr. tit. Inst. d. Empt. Vend. Duaren. ad Titul. d. in tit. jur. &c. Ego hoc in conflictu ad posteriorem sententiam accedo: & quæ superioribus respondenda sint ipsi disputationi reservo.

Quæstio III.

An si res Vendita ante traditionem perierit, Venditor restituere precium teneatur?

In Emptionibus Venditionibus juris regula hæc est: Perfecta emptione periculum & commodum ad Emptorem, non ad Venditorem spectat *l. 7. pr. l. 8. pr. ff. de peric. & Commod. rei Vend. l. 1. 2. 4. §. ult. C. h. t. l. 12. ff. de act. Empt. l. 39. ff. de Solut. §. 3. Inst. d. Empt. Vend. l. 5. §. 2. ff. de rescind. Vend. l. 10. de hered. vel act. Vend. l. 34. §. 6. ff. d. contrah. Empt. l. 2. §. 1. l. 4. §. 4. de in diem addict. l. 11. §. 12. ff. Quod vi aut Clam. l. 15. §. 6. ff. d. re jud.* Perfecta autem Emptio hîc intelligitur, non ea quæ ratione effectus sive actus secundi perfecta est, cum precium est solutum, & res tradita vel etiam sine pretio (cæteris tamen paribus) restradita: quomodo perficitur aut perfecta Emptio Venditio dicitur *l. 57. in pr. ff. d. contrah. Empt. l. 8. de rescind. Vend. l. 1. Cod. de litigios. l. 3. Cod. de reb. alienand. ne non l. 1. Cod. de Vend. reb. Civil. l. 12. de contrah. Empt.* In ea enim significatione dubium nullum est, quin re traditâ emptoris sit periculum, ut domini *l. 9. Cod. de pign. act.* Sed ea quæ ratione suæ substantiæ sive actus primi perfecta est: quod evenit cum de precio convenit, constatque de eo, quod venijt, quid, quale & quantum sit, & Venditio est pura. Venditur enim res vel purè, vel in diem, vel conditione existente. *pr. d. §. 3. Inst. de Empt. Vend. l. 8. pr. §. 1. l. 10. pr. h. t. l. 7. pr. l. 35. §. 5. 6. 7. ff. de contrah. Empt. l. 1. C. h. t. si purè contrahatur Emptio Venditio, periculum ad Emptorem spectat, ut modo indicatum; si verò sub conditione, & res pendente conditione interierit periculum ad Venditorem, non ad Emptorem, spectat. l. necessario. 8. ff. de peric. & commo. rei Vend. & trad.* Cui nec dum erat debita, utpote imperfecta adhuc Venditione. *l. cedere diem. 213. d. V. S.* Sanè in conditionali emptione si conveniat ut res emptoris periculo fervetur, puto pactum valere: *ex l. 10. ff. h. tit. quemadmodum & contra valet,*

704.
valet, si perfectâ Venditione se periculo Venditor obstringat *l. 1. in pr. ff. de peric. & commod. rei Vend.* Quid vero in Emptione in diem? sanè si traditioni tantùm dies adjecta sit, cum perfecta ac pura sit venditio, emptoris erit periculum *l. 1. ff. de peric. & commod. rei.* Sin ipsi venditioni, ut si dies degustationi præstituatur, venditoris: quia sub conditione contractum esse videtur. *Vvesenbec. in c. ad h. t. n. 6.* Cæterùm, licet emptione perfectâ, ut jam dixi, Venditor periculum non sustineat: attamen custodiam usque ad traditionem præstare debet: *d. l. 1. in pr. & l. 2. in fin.* non qualem suis rebus, sed penè quam ij quibus res commodata est, aut alioqui versantur in re aliena *d. l. 1. 2. 3. 4. d. peric. com.* Exactâ. n. diligentiam custodiendæ rei præstare tenetur, nec sufficit ei tantam diligentiam adhibuisse, quantam suis rebus adhibere est solitus, *d. l. 3.* Fatale vero damnum non præstat, ut cum in tempestate aliqua domus vel merces fulmine tactæ vel deterioratæ sint: ne incendium quidem, vel furtum: quamvis difficile est alterutrum sine culpâ & negligentiam admitti: dummodò quam debent homines frugi & diligentes custodiam præstiterit. Non. n. si servorum negligentiam quid commissum est, continuò Dn^o in culpa erit *l. 11. de peric. & com. rei vend.* Quod si probetur ipsius culpa, meritò ex bona fide tenebitur *Vvesenbec. in c. de peric. & commod. rei Vend.* Ex quibus ad quæstionem propositam respondere est facile. Quibus enim casibus emptoris fuit periculum (quod regulare est,) & venditoris nulla culpa intervenit: illis & re peremptâ vel amissâ venditor tamen precium restituere non tenebitur.

Quæstio IV.

Num Annui Reditus, vulgò *die wider käuffliche Zins* emi & vendi possint?

Affirmativæ subscribo sententiæ: adjectis tamen certis requisitis: veluti: I. ut Pensio, census aut reditus justam quantitatem precij non excedat; neve per eam legi de modo usurarum fraus aliqua fiat sed pro centum aureis, quinque annuatim accipiantur: juxta constitutionem Carolinam Anno 84. in Augustanis comitijs promulgatam, sub. titul. *von wucherlichen contracten.* Deinde ut pensiones possint à Venditore pro ejus lubitu quoties voluerit restituta

tutâ forte, preciove redhibito, redimi. Tertio, ut Emptor precium Venditori det absque ulla repetendi facultate. Nam si conveniat, ut quando placuerit ad factam denunciationem repetere liceat, non est justa Emptio & Venditio. Hisce requisitis se rectè habentibus, emptionem istam puto omninò valere. Nam argumentum desumo. j. à simili. Quia enim & ususfructus potest emi vendi: *l. necessario 8. §. ult. ff. de peric. & comm.* cur non & annui reditus? cum inter Ususfructum & annum redditum, quantum ad propositum, discrimen nullum appareat: Deinde quia jus percipiendi annuos reditus potest æstimari pecunia, ut qui adferant realem possessori utilitatem: igitur illi Emi & Vendi justissimè poterunt. Tertio accedit quod quicquid merx est & immobilibus annumeratur, hoc nisi specialiter prohibeatur, Vendi potest & Emi. Quarto: in quacumque materia existunt omnia & vera substantialia Emptionis Venditionis, ibi quoque necessariò est Emptio. Quia positis partibus substantialibus alicujus rei, res ipsa ponitur. Atqui in Venditione annuorum Redituum concurrunt omnia & vera Emptionis essentialia. Consensus nimirum: de quo nemo est qui quicquam ad dubitet: precium seu ea pecunia, quæ pro annuo redditu datur: & Merx seu annui reditus ipsi. Quinto confirmatur hoc haud obscure ab ipso Imperatore Justiniano in Nov. 160. impræfat. & capit. 1. vide de hac materia Covar. lib. 3. Variar. Resol. c. 7. Gail. 2. obs. 5. nu. 10. & 7. 8. Göden. Conf. 80. Valq. lib. 2. controvers. c. 84. num. 103. Mozz. de Empt. Vend. Col. de rebus quæ Emi Vendi poss. vel non nu. 23. Treut. Vol. 1. Disp. 28. §. 5. lit. F. Bocer. Class. 7. Disp. 3. §. 15. lit. C. Verba dict. constit. polit. de anno 1548. ita habent. **Vnd nach dem die widerkauffs Gülten allenthalben in Landen gemein sein / so sollen mit hundert gülden Hauptgelt s nicht mehr dann fünff gülden Jährlicher Gültung / wie gebräuchlich gekaufft werden / vnd die Loskündigung der Gült verschreibung / auff widerkauff / wie widerkauffs recht / bey dem verkauffer / vnd nicht bey dem Käufer stehn / vnangesehen wie dieselbig Gült schreibung gestelt / vnd was darüber gegeben / genommen oder gehandelt / wollen wir dasselbige / vnd alle andere vnzimliche pacta oder geding für Bucherlich vnd vnkräftig**

705.
Unkräftig geacht gehalten/ vnd von dem Richter nicht dar-
über erkandt / oder geurtheilt / sonder wie obgemelt gestraffe
werden soll.

Quæstio V.

Num in Locatione Conductione merces constitui
possit in sola pecunia Numerata: An verò
alijs etiam in rebus?

Dubium nullum est, quin Locatio Conductio, proxima sit Em-
ptioni Venditioni, iisdemque penè regulis consistat. *l. 2. pr. & §. 1. h. t. pr. & §. 1. 2. 3. Inst. h. t. Cujac. in parat. D. h. t. & Wesenbe. in w. D. h. t. nu. 1.* sicuti namque Emptionis Venditionis tria sunt substan-
tialia, ex quibus consistit, videlicet, Consensus, res sive Merx, &
precium, ita quoque locationis conductionis tria sunt substantia-
lia, consensus, res vel opera, & Merces. De Mercede verò quæstio
est perquam intricata & perplexa inter Jctos, utrum sicut precium
emptionis in sola consistit pecunia numerata, nec Emptio Vendi-
tio permutatione rerum contrahitur; ita quoque merces locatio-
nis conductionis in solâ pecuniâ numeratâ consistat. Plerique ve-
rò hujus sententiæ sunt, quod Merces locationis conductionis in
alijs etiam rebus, quantitate consistentibus, quàm pecuniâ numera-
tâ consistere possit. Et conantur suam sententiam probare, ex *l. si
olei. 21. C. de locat.* ubi oleum loco mercedis pro locatione fructuum
annuorum datur. Item ex *l. & hac distinct. 35. §. fin. ibi ut fructus mer-
cedis nomine pensarentur. ff. locati.* item ex *l. licet 8. C. de locat. ibi, cer-
tis annuis quantitatibus.* Præterea ex *l. 25. §. 6. ff. loc.* Item ex voca-
bulo Mercedis & alijs pluribus. Hancque sententiam defendunt
Coral. *lib. 2. Miscell. c. 1. Pinell. in l. 2. C. de rescind. Vend. pag. (m.)
2. cap. 3. nu. 38. Cujac. ad Affric. in Explicat. d. l. hac distinctio. 35. h. t.
Menoch. remed. adipisc. poss. nu. 93. Wesembec. in w. ff. h. t. num. 7.
Oleman. Diss. 29. nu. 29. in object. & resol. Borch. de pact. c. ult. nu. 10.
Bocer. ad d. l. contractus 23. ff. d. R. I. A. cap. 4. nu. 9. Vultejus ad pr. h.
2. nu. 19. & 20. Bronch. cent. 2. Aff. 66. Elias Rober. Diss. 17. §. 7. Matth.
Steph. Cent. 3. Quæst. illustr. 73. Gyph. Diss. jur. Civil. 29. ad Corol.
Ungepaur Exerc. Justian. 12. quæst. 5. pag. 454. Petr. August. Morla*

B

part. l. Emptor. r. 10 d. loc. & Cond. nu. 5. Ego verò illorum sententia adhaereo qui statuunt veram & propriam locationem, regulariter pecunia duntaxat numeratâ contrahi posse, Moveor autem hisce rationibus & fundamentis. In l. 1. §. 9. ff. *Depositi* Ulpianus Ictus expressè testatur locationem non nisi pecuniâ contrahi posse: si quis (ait) servum custodiendum in pistrinum conjecerit, siquidem Merces intervenit custodiae, putò esse actionem adversus pistrinarium ex conducto, si verò mercedem accipiebam ego pro hoc servo quem in pistrinum accipiebat, ex locato me agere posse: quod si opere ejus servi cū custodia pensabatur, quasi genus locati & cōducti intervenit: sed quia pecunia non datur, praescriptis verbis datur actio, si verò nihil aliud, quam cibaria praestabat, nec de operis quicquam convenit, Depositi actio est. Momentum rationi isti addit haec altera: quod pecuniae verbum, in significato famosiore, pecuniam numeratam significet, ut manifestum est ex l. *item si filiusfam.* 7. §. *mutuidatione* 3. ff. *ad. SC. Maced.* ubi mutuidationem (ait Ictus) non solum pecuniae numeratae verum omnium quae mutuo dari possunt accipere debeamus videndum? Sed verba videntur mihi ad numeratam pecuniam referri: ait, enim senatus mutuam pecuniam dedisset. Sed si fraus sit SCTo adhibita, puta frumento vel vino vel oleo mutuo dato, ut his distractis fructibus, uteretur pecuniâ, subveniendum est filiofam. Tenet sententiam istam Gomez tom. 2. *Variar. resol. c. 3. nu. 3.* Mozz. *tr. & contr. tit. loc. Col. 2. nu. 14.* Ferrar. *inform. libelli verba florenos. n. 2.* Fachin. *lib. 2. Controv. cap. 892.* Don. *lib. 13. com. cap. 6. circ. fin.* Arum. *Disp. 14. Exerc. 10.* Forster. *Disp. 18. §. 8.* Cramer. *Discept. Inst. 18. pos. 13.* & alij complures.

Quaestio VI.

Utrum si domus conducta combusta sit, locatoris
damnum sit, an conductoris?

Difficilis haec quaestio est; in qua tamen omnes Dd. in duobus articulis conveniunt; sed in tertio alij ab alijs dissentiunt. Inter omnes convenit, si fortuito casu incendium exortum sit; conductorem non teneri. l. *ex conducto.* 15. §. *si vis* 2. in fin. ff. *loc. l. contractus.* 23. ff. *d. R. I.* convenit etiam inter omnes è contrario, conductorem teneri, imò puniri etiam, ubi culpâ vel dolo ejus incendium factum est:

probari culpam certi hominis, quia licet incendium culpâ inhabitantium factum præsumitur: non tamen præsumitur culpa certæ personæ per tex. si quid in *l. si vendita. 11. ff. de peric. & commod. rei vend.* ubi textus apertus, quod incendium sine culpa patrisfam. fieri possit. Ergo ut teneatur conductor ex generali illâ præsumptione quæ ex habitatione suboritur, necesse est probare culpam certæ & determinatæ personæ, quæ si non probetur, remanet incertitudo & per consequens sententia condemnatoria sequi non potest. *l. licet. §. ult. ff. Naut. Caup. stab.* ibi, ut certi hominis factum. III rationem decerpo ex gloss. Dd. in *l. quoties 18. §. 1. qui dolo ff. d. probat.* Ubi quilibet præsumitur diligens, donec de ejus negligentia & culpa doceatur, igitur & conductor in re conducta tam diu præsumitur diligens donec contrarium fuerit à locatore ostensum: nec præsumitur incendium ortum esse ipsius culpâ. Concludo igitur ex hisce in medium adductis, conductorem in ejusmodi casu dubio non teneri actione locati, sed damnum redundare ad locatorem eo usque donec culpæ reus arguatur conductor. Nam etiam sine habitantium culpa incendium oriri posse res loquitur: ut si quis incendiarius inferat ignem in domum aliquam, vel si ædes vicinæ flagrent, & proximæ ignem concipiant. Manet igitur firmum conductorem non teneri probare suam diligentiam: sed eam præsumi, donec contrarium adductum fuerit. Plura vid. apud Alex. *conf. 50. lib. 1.* Capollam *conf. crim. 69.* Roland. à Valle *consil. 95. lib. 2.* Menoch. *de Arbitr. jud. casu. 390.* Gailium *lib. 2. pract. observ. cap. 21.* Joseph. Mascard. *lib. 2. d. prob. & alios complures ab hisce citatos.*

Quæstio VII.

**An Emphyteuta sine Consensu domini jus suum
Emphyteuticum alij donare possit?**

Negandi parti subscribo. Et si. n. *l. ult. C. de jur. emphyt. de alienatione juris emphyteutici loquens, nominatim mentionē faciat veditio- nis, itemq; pretij: cesset etiã ratio denunciationis domino faciendæ, ut sc. ipse si emere velit præferatur: (Neq; enim si is donatū accepturus esset, præferri deberet:) quò fac. *l. 1. C. de fund. patrim. 11. 61. & l. 3. C. de prad. decur. 10. 33.* Tamen aliæ sunt causæ ob quas & in donationibus, domini consensus requirendus est: ut videlicet dominus intelli-*

intelligat, quis novus sit Emphyteuta, & antequam ei possessionem concedat & eum investiat, providere possit, ut non solum laudemium consequatur, sed & annuū ipsum canonem Emphyteuticum. Et si hæc non fuerint servata; nulla est lex, nulla ratio, quæ dominum compellat ad novum Emphyteutam suscipiendum ac investiendum. Sic enim ait *d. l. ult. Cod. de jur. Empt.* Necessitatem habere dominos, si alijs melioratio secundum præfatum modum vendita sit accipere Emphyteutam. Ergo si non secundum præfatum modum Emphyteuta jus suum in alium transferat, dominus non tenetur suscipere novum Emphyteutam, modus verò est ut domini consensus requiratur vid. *Fach. contrv. jur. Civ. lib. 3. cap. 97.* Et meritò. Quoties enim de alicujus præjudicio agitur, toties cōsensus ipsius necessarius est, quia nemo alteri iniquam conditionem inferre aut alteri facto suo præjudicare debet. At cum jus Emphyteuticum alienatur quocunque etiam titulo id fiat, agitur de præjudicio ipsius domini, siquidem interest domini non quemvis habere Emphyteutam, sed eum qui in re Emphyteutica curanda & utenda diligens sit & industrius: quique Canonem quoque quotannis solvere possit & velit. Neque enim omnes in rebus etiam suis, nec dum in alienis, curandis & colendis æquè industrij sunt & diligentes; nec etiam omnes in Canone solvendo æquè prompti. Proinde propter hoc præjudicium domini longe maximum consensus ipsius meritò requiritur & adhibetur. *Hun. lib. 3. Tract. 7. part. 2.*

Quæstio VIII.

An locator prædij, vel dominus directus, possit conductorem vel Emphyteutam, mercedem vel canonem non solventem, aut ee Emphyteutica vel conductâ malè utentem propriâ autoritate expellere?

Consentire neque, propter manifestam *l. 176. ff. d. R. 1.* non est singulis concedendum quod per Magistratum publicè possit fieri: ne occasio sit majoris tumultus faciendi. Certè enim si hoc in facultate locatoris positum esset, ut conductorem non solventem pensionem, propriâ autoritate expellere posset, occasio præbe-

807
retur tumultibus, cædibus, & si inter potentiore res ageretur, etiam bellis intestinis, magno cum incommodo Reipublicæ, quia constat, quod tunc vis sit, quoties aliquis id quod deberi sibi putat, non per judicem reposcit. Pleniùs Callistratus: Extat decretum Divi Marci in hæc verba: optimum est ut, si quas putas te habere petitiones actionibus experiaris, cum Marcianus diceret, vim nullam feci: Cæsar dixit, Tu vim putas esse solùm, si homines vulnerentur, vis est tunc quotiens quis id quod deberi sibi putat non per judicem reposcit. Quisquis igitur probatus mihi fuerit rem ullam debitoris vel pecuniam debitam, non ab ipso spontè sibi datam, sine ullo iudice temerè possidere, vel accepisse, isque sibi jus in eam rem dixisse, jus crediti non habebit. *l. extat. 13. ff. quod Metus ca.* Et si Creditor non potest absque iudicis autoritate possessionem ingredi, licet conventionis potestas ei facta sit: nec dominus autoritate propria expellere poterit Emphyteutam, etiam si ex lege contractus potestatem diceretur accepisse. Sic enim Imperator dicit in *l. Creditores. Cod. de Pignor.* Creditores qui non redditâ sibi pecuniâ, conventionis legem ingressi possessionem exercent, vim quidem facere non videntur; attamen autoritate præsidis possessionem adipisci debent. Quod etiam constitutum est in dote. Soluta enim Matrimonio, dos ad mulierem revertitur, & potest mulier eam vindicare: *l. in rebus. 30. Cod. de jur. Dot.* attamen propriâ autoritate possessionem rerum dotalium ingredi nequit. *l. dotis C. sol. matr.* Hackelman. in *Illustr. & selectioribus questionib. Diss. II. §. 15. p. (m.) 7.* inquit. Fundo in emphyteusi semel concesso, pœnitentiâ revocari non potest; sed tum demùm, cum Canonem Emphyteuta non solvit aut contra legis requisita committit: eoque ipso casu iudicis sententiam intervenire erit tutius. Extat denique rescriptum Zenonis Impr. in *l. si quis in tantam. 9. Cod. vnd. vi.* si quis in tantam furoris pervenerit audaciam, ut possessionem rerum apud fiscum vel apud homines quoslibet constitutarum, ante adventum judicialis arbitrij violenter invaserit, dominus quidem constitutus possessionem, quam abstulit, restituat possessori, & dominium ejusdem rei amittat, si verò alienarum rerum possessionem invasit, non solùm eam possidentibus reddat, verùm etiâ æstimationem earundem rerum restituere compellatur. Manifestè igitur patet ex hisce omnibus, nemini concessum esse sibi ipsi jus dicere aut suū ab alio possessum vel sibi debitū, autoritate privatâ sine interveniente iudice, occupare vel exigere: indeq; nec locatorem

torem vel dominum posse conductore vel Emphyteutam propter nõ solum canonem proprio nisu & viribus eijcere, verum ad id iudicis ac Magistratus autoritate & consensu opus habere. Cæterum tam locatori quàm domino directo, legitimæ competunt actiones, quibus conductorem vel Emphyteutam ad pensionem solvendam vel è villâ cedendum cogere potest.

Quæstio IX.

An si unus sociorum operam tantum, alter tantum pecuniam contulerit, pecuniæ amissæ damnum ad eum etiam qui operam tulit pertineat?

Societas est vel generalis, totorum bonorum; vel alicujus specialis rei aut negotiationis, partes verò lucri & damni, si nihil de his expressum sit, æquales sunt; pro ratâ portione pecuniæ, sive rei in societatem collatæ: si aliqua expressæ sint eadem & servari debent §. 1. *Inst. de societ.* Pacta autem societatum varia sunt, v. c. ut ad unum duæ lucri & damni, ad alterum verò tertia spectet: vel ut unus duas partes lucri damni tertia; alter duas damni, lucri tertiam ferat: Vel ut quis lucri partem ferat, de damno autem non teneatur, ita tamen; ut si in aliâ re lucrum in alia damnum illatum sit, compensatione factâ, solum quod superest, lucrum esse intelligatur *d. §. 1. & 2. & l. 29. & seq. ff. pro soc.* Iterumque ut unus pecuniam conferat, alter non conferat operam, & tamen lucrum inter eos commune sit, *d. §. 2. Inst. de societ.* Ratio hujus inæqualitatis est ista, quod sæpè ita pretiosa sit opera, ut propter eâ justum sit, cõditione meliori quæ in societatem admitti, & ejus opera pro pecunia valeat *d. §. 2.* Circa ultimum verò hujus contractus pactum, anxie disquiri & disputari solet, quia frequentissimè accidit, ut unus solâ pecuniam & operæ nihil; alter solam operam & nihil pecuniæ conferat, an si pecunia casu interierit fortuito, utrùm damnum solius istius sit, qui pecuniam contulit, an cõmune sit, & pro ratâ parte id alter qui operam contulit, sustineat. Mihi illorū adhærendum videtur sententiæ qui statuunt, periculum & damnum ejus solius esse, qui pecuniam in societatem contulit. Ratio ista est, quia secundum juris Regulas, res perit domino suo *l. Pignus Cod. de pignor. act.* Pecuniæ autem dominus est is, qui eam contulit, quare illi soli, non alteri qui operam

operam contulit perit. Deinde si damnum commune esset, ingens nasceretur inter socios disparitas & inæqualitas. Nam is qui operam ponit, duplici afficeretur incommodo, uno quod operam industriamque suam perderet, altero quod sentiret partem damni. Conferens vero pecuniam, partem ejus tantum perderet. Talem vero inæqualitatem societatis contractus non facile recipit: utpote qui vel maxime gaudet æqualitate inter socios *d. §. 1. Inst. h. t.* & si in proposito casu commune esset damnum, injuria fieret ei, qui ista lege ad societatem accessit, ut solam operam conferret. Revera enim luitione partis amissæ, pecuniæ, pecuniam aliquam & ipse conferre necesse haberet. Nec tale societatis genus procul abesset à fœnore & usurariâ pravitate: ex traditis *in c. pleriq. 14. quest. 3. per Panormitanum. in c. per vestras. de Donat inter Vir. & Uxor.* Nec obstat *l. cum duobus § 2. ff. profoc.* ubi in *§. quidam sagariam. 4.* videri posset proponi casus, in quo socius solam operam conferens, pecuniam ab altero collatam perdidit; & tamen commune utriusque damnum statuitur. Nam diligentius ibi attendendum, quod societas fuerit inita, ut unus pecuniam, alter præter operam etiam pecuniam conferat: Quod enim de eo casu Iustus loquatur, satis evidenter ex illis verbis relucet: *alter ex his ad merces comparandas profectus, suam pecuniam perdidit.* vide Harprecht. *com. de societ. ad §. & quidem. 1. cum 2. n. 22. pag. 52.*

Quæstio X.

An sumptus studiorum Filio, vel dos filiaæ data,
societati omnium bonorum
rectè imputentur?

Societas ratione materiae est vel certarum rerum: eaque rursus vel publica, de rebus publicis, vectigalibus sc. vel privata de rebus privatorum: *in pr. Inst. h. t. l. 5. pr. l. 33. l. 59. pr. l. 63. §. 8. l. 65. §. 15. ff. h. t. Vvesembec. in c. h. t. nu. 3.* vel est omnium bonorum. *l. 1. §. ult. l. 3. §. 1. l. 52. §. 16. 17. ult. l. 65. §. 3. h. t. l. 4. Cod. eod. l. 1. Cod. qui testm. fac. poss. sive universonum bonorum l. 5. pr. h. t.* Et hanc circa posteriorem, ob inæqualitatis præsertim rationem, quæ in casu hinc paucorum, illinc plurium liberorum existentium oriretur, dubitari potest, an & studiorum itemque dotium causa quæ erogantur, societati imputanda

770.

tanda veniant? Affirmativæ sententiæ subscribo, propter t.
l. si societatem. 73. §. ultim. ff. pro soc. ubi manifestè & sine limitati-
one Ulpianus ait, ea quæ in honorè alterius liberorum erogata sunt,
societati imputanda esse. item propter *l. 39. §. 3. fam. ercis.* ubi socius o-
mnium bonorum imputat societati quod Reip. debitum cõtraxit. At
publicæ utilitatis causâ etiã impenditur, quod in studia infumitur.
Sic & pro dotis imputatione *fac. l. 81. ff. pro soc.* Et referre tamen
existimo, utrum de societate omnium bonorum, quæ specialiter ita
coita est, ut omnium bonorum esset; *l. 3. §. 1. d. t. an de societate*
omnium bonorum, quæ ex simplici coitione existit, & restrictio-
nem quandam patitur, *l. 7. d. t. sit sermo.*

Quæstio XI.

An & quatenus valeat pactum ut socius lucri partem
ferat, de damno non teneatur?

Quod hujusmodi pactum valeat probo ex *l. si non fuerint. 29. §. 1. ff. pro soc.* ita nempe coiri societatem posse, ut nullius partem damni alter sentiat; lucrum verò commune sit. Item ex *§. 2. Inst. h. t.* Quatenus verò valeat videndum. Ista enim conventio sano sensu est accipienda ne Leoninam societatem efficiat, ex qua alter solus lucrum percipiat. Sic autem accipi debet, ut si in alia re lucrum in alia damnum illatum sit; compensatione facta, id quod reliquum est solum lucrum vel damnum esse intelligatur. Non enim pro lucro quid habetur, nisi omni damno seu ære alieno deducto: nec vice versa damnum, nisi deducto omni lucro. *l. 30. ff. pro soc.* id ipsum enim etiam observatur in bonis proprijs ut ea demum talia habeantur quæ ære alieno deducto supersunt. *l. subsignatum 39. §. 1. ff. d. V. S.* Exemplo res erit manifestior. Sabinus & Sempronius societatem inierunt Pannariam & Ferrariam: hac lege, ut ad Sempronium pertineat lucri pars tertia, damni nulla, inde ex pannariâ evenit damnum centum aureorum; & ferrariâ lucrum quadringentorum. Hic compensatio damni & lucri, facit lucrum, quod relinquitur, trecentorum aureorum, ex quibus Sempronio centum, Sabino ducenti obvenient. Contrà si damnum ex pannaria sit quadringentorum, ex ferrariâ lucrum centum aureorum, compensatione factâ da-

mnum erit reliquum trecentorum aureorum, quod totum sustinebit Sabinus. Quod tamē ipsum ita interpretandum videtur: si modo is qui nullam sentit partem damni, aliquid plus contulerit five pecuniæ five operæ, aliàs quippe, & si vel maximè ita convenerit, inimica tamen societati lex posita videri poterit, vid. Gail. 2. *obs.* 24. & Pac. *cent.* 4. *évavt.* q. 96. quàm pecunia: Velut si solus naviget, si solus peregrinetur, pericula subeat solus l. *si non fuerint.* 29. §. 1. ff. *pro soc.* Gail. *lib.* 2. *observ.* cap. 24. nu. 1. 2. & 5. Pac. *cent.* 4. *évavtio qavōv quest.* 96.

Quæstio XII.

An pacto effici possit ut societas privata ad hæredes sociorum extendatur?

Ita pacisci non licet ut hæres in societate privata succedat: l. *si convenerit.* 14. *ibi ne societate abeat* & l. *adeo* 59. ff. *pro soc.* l. *nemo.* 35. *eod.* nam qui societatem contrahit certam sibi personam eligit, certique hominis fidem & industriam in eligendo socio spectat, fieri autem facile potest, ut hæres societati non sit idoneus. Et si quis invitus cogeretur ad societatem, discordiarum semina spargerentur, cum materia communionis discordias excitari soleat. l. *cum Mater.* 77. §. *dulcissimis* 20 ff. *legat.* 2. Unde nec invitus quis in societate detineri compellitur. l. *fin.* C. *com. Divid.* Atqui hoc pacto ut societas ad hæredes socij transeat, inviti compellerentur ad bonorum communionem hæredes socij. Unde & illa societatis in æternum coitio (quæ aliàs nulla est. l. 70. ff. *pro soc.*) in l. 1. *eod. tit.* ita exponitur, ut scil. socij sint dum vivunt: non aliâ ratione quàm quod non possit societas pacto ultra vitam contrahentium sociorum extendi. *Vvesenbec.* in *τ.* ad h. t. nu. 11. Hocque in privatis societatibus. At in societate vectigalium, nihilominus manet societas post mortem socij, cum ejus hæredibus: saltem effectu, ut omnia damna & lucra communicentur. l. *verum.* 63. §. *in hæredem.* 6. *pro soc.* Denique & observandum, quod licet hæres socius non sit, tamen inchoata negotia utilitatis causa absolvere debeat. l. *hæres* 40. ff. *h. t.* quemadmodum & cum emolumentum tum damni, quod ex societate provenit, successor est. l. *verum* 63. §. *in hærede.* 8. *pro soc.* & l. 6. §. 6. *de his qui not. inf.*

Quæstio

717.
Quæstio XIII.

An Mandatarius in Mandato solius mandantis
causâ contracto præstet culpam
levissimam?

Duarenus hanc quæstionem difficilem dicit, & in mandati materia nullam esse difficiliorem putat. Ego defendere conabor, Mandatarium, non de levissima, sed nec de levi, sed dolo tantum & lata culpâ teneri. Rationes autem quæ me movent sunt. I. in *l. 5. §. 2. ff. commod.* Ubi regula juris est, quod cum in negotio aliquo utilitas alterius contrahentis non agitur, sed omne comodum ad alterum tantum spectat, ibi dolus tantum & lata culpa præstetur, ab eo cujus nulla est utilitas, non ite levis vel levissima. II. in *l. si Proc. 8. §. ult. ff. mand.* Ubi is cui mandavi, ut hominem emeret, dicitur mihi teneri, si emere neglexerit, vel dolo pecuniâ corruptus, vel lata culpa, si gratiâ ductus, passus est alium emere: Unde colligo si nec dolus nec lata culpa intervenerit mandatarium non teneri. Unde & in *l. 44. ff. h. t. explicatur*, quando sit dolus in Mandatario, mandatum non exequente: quod quærere non multum attineret, nisi mandatarius ob ipsum tantum dolum teneretur. III. in *l. 10. pr. ff. eod.* Ubi manifestè & disertè scribitur, nihil amplius quàm bonam fidem eum præstare oportere, qui procurat: at præstare bonâ fidem, intelligendus est, qui dolo nil facit: quia dolus & bona fides ita se habent oppositè: ut uno possit alterum excludatur, & uno excluso alterum ponatur. Accedit etiam ratio juris æquitatisque manifestæ, quod nemini officium suum, quod ejus, quo cum contraxit, non sui proprii commodi gratiâ susceperit, damnosum esse debeat. *l. si servus. 65. §. quod verò. ff. d. Furt.* quodque non facile reperiendus quis fuerit, qui solius mandantis causâ mandatum suscepturus sit, si ex illa ipsa susceptione, ad exactissimam diligentiam oppositâ culpa levissimâ æstimandam, cogitarit se fore adstrictum.

Quæstio XIV.

An & quatenus morte mandantis extinguatur Mandatum vel ad hæredes ejus transeat?

Mandatum extinguitur tribus modis. I. Revocatione re adhuc

integra, ab ipso mandante facta §. rectè quoq; 9. Inst. d. mand. II. Mor-
te cum mandantis, tum mandatarij, ita tamen ut Mandatario, mor-
tem mandantis ignoranti, & mandatum exequenti, nihilominus ex
æquo & bono actio adversus hæredes mandantis concedatur §. item
si adhuc. 10. h. t. III. Renunciatione ab ipso mandatario factâ, &
quidè tempestivè; aliàs nihilominus actione mādati teneretur man-
datarius, nisi, velut justa de causâ omiſſam, aut intempestivè factam
renunciationem, excusaverit. §. mandatum 11. h. t. De secundo modo
est proposita controversia. An & quatenus mandantis morte man-
datum extinguatur vel ad hæredes ejus transeat? Ad cujus primum
membrum, An videlicet, extinguatur mandatum morte mandantis,
dico, quod sic: ex §. item. 10. h. t. l. inter causas. 26. & l. seq. §. morte 3.
l. mandatum. 27. cum l. sequenti. ff. mandati, & l. mandatum. 15. C.
eod. Ratio cur Mandatarij morte finiatur mandatum, est evidens:
nam sicuti in societate, ita & in mandato certa persona sive fides ho-
minis certi eligitur. l. mandatum. 57. ff. Mand. Quare autem morte
mandatoris solvatur in promptu ratio est, ex l. locatio 4. ff. loc. c. si gra-
tiosè. 5. ext. de rescript. lib. 6. quia cujusque voluntas morte extin-
guitur, homoque mortuus desinit velle. Illud tamen hîc observan-
dum venit, mandatum quidem morte mandatoris finiri, sed obliga-
tionem actionemque mandati perpetuò durare. l. inter causas. 26.
in pr. & l. si precedente. 58. in pr. ff. mandati quod similiter & in socie-
tate se habet, ut ipsa societas morte finiatur, actio verò pro socio sit
perpetua. Hoc enim proprium est istiusmodi actionibus & obli-
gationibus, ut perpetuæ sint. Ad alterum membrum, quatenus
morte mandantis mandatum extinguatur dico in tantum finiri
mandatum, in quantum mandatum adhuc est integrum: excipiun-
tur enim quidam casus, ubi ne morte quidem mandatoris manda-
tum tollitur: veluti si quis jusserit, ut post mortem suam monumen-
tum sibi fieret, vel hæredibus suis se mortuo res aliqua comparare-
tur. l. si verò 12. §. fin. l. seq. ff. mandati. Nec obstat l. ult. ff. de solut.
Ubi Paulus inquit: ei cui jussi debitorem meum post mortem meam
solvere, non rectè solvitur. Regeo enim observatum jam ab alijs
hîc esse. hæc verba inverso ordine esse posita in d. ult. legendum: Ei
cui jussi Debitorem meum solvere, post mortem meam non rectè sol-
vitur Cujac. lib. 1. obs. c. 38. Et ad hæredes proinde mandantis transi-
bit mandatum si is mandavit quid post mortem suam expediendum:
ita ut si mandatarius id non impleverit hæredibus mandantis ad id,
quod

712
quod interest teneatur: ut vicissim hæredes eidem contraria mandati
actione obligantur, *d. l. si verò 12. §. fin. & l. seq. ff. mand.* Mynfingerus
hic n. 5. Mozzius *in tr. de Mand. Col. ultim. quomodo annulletur man-*
datum n. 12. Bronch. *cent. 2. ἐναγριοφαιών asert. 46. Edit. 2.* Notabiliter
tamen Imp. *in §. 10. vers. sed utilitati* adjecit, Mandatarium mortuo
Mandante, per ignorantiam mandatum exequentem habere actio-
nem Mandati, adversus hæredes mandantis; non quidem stricto ju-
re; sed utilitatis causa; ne justa & probabilis ignorantia mandata-
rio damnam adferat.

Quæstio XV.

An & quatenus salarium accedere mandato pos-
sit & qua actione peti queat?

Ante omnia sciendum est, mandatum suâ naturâ esse gratuitum,
cumpendat ex officio atque amicitia, cui contraria est merces. *l. 1.*
in fin. ff. mand. l. si tibi 13. in pr. ff. de præscript. verbis. §. 13. Inst. de mand.
l. si contra. 20. in fin. C. eod. l. 1. §. est autem 17. ibi aut si gratuitam. ff.
d. Exercitor. act. proinde si merces interveniat in mandato, non am-
plius manet mandatum, sed transit in locationem *d. l. 1. §. ult. ff.*
mand. vel in aliquod simile negotium, & vel contractum innomina-
tum: *l. si tibi polienda. 22. ff. de præscript. verb. §. 1. Inst. locatione Cond. &*
§. 13. Inst. de mand. Distinguendum autem est inter Mercedem & Sala-
rium sive honorarium. Merces enim si intervenit, in aliud genus
contractuum cadit. De salario autem non sic sese res habet. Sed quod
salarium accedere possit probatur. *l. 6. pr. ff. mandati,* his verbis, si
remunerandi gratia honor intervenit erit mandati actio. & *l. 7. eod.*
tit. Salarium procuratori constitutum ponitur, ut & extra ordinem
petatur. Et si quidem ultrò remunerandi gratiâ, mandatario extra
conventionem quid offeratur, honestè id accipitur; neque impedit
mandati actionem. *d. l. 6. pr. mand.* Sin conventum promissumque
salarium sit sine certâ tamen mercede super factò quod locari non
solet: non petetur id salarium actione Mandati: est enim hoc man-
dato contrarium; sed aut ex stipulatu, si stipulatio intervenit, aut
ex alio contractu, aliaque actione, puta præscriptis verbis, vel extra
ordinem: *l. 1. Cod. mand. l. Salarium. 7. ff. eod. si verò generatim vel in-*

habere certum me hic habere
certa aliqua pollicitatione, conventum sit de salario: Exempli gratiâ necesse habeo emere equos, mando alicui ut emat in superque dico, si feceris; experiere apud non ingratum te posuisse operam: verius est in hisce & similibus, nihil posse peti, *l. salarium. 19. Cod. Mandati l. qui mutuam. 56. §. salarium infn. h. t.* nisi extra ordinem ab ijs qui accipere alioqui solent, ut sunt Advocati & Procuratores ad litem. *d. l. salarium. 7. d. l. 1. infn. Cod. eod. l. 1. §. in honorarijs. cum seq. de varijs & extra ordin. cognit. salarium itaque suum, advocatus seu Procurator vel quilibet alius, non actione mandati petere potest: sed persecutione extraordinaria id obtinebit. dd. loc. præsidis cognitione. Bocerius in comment. ad l. contractus 23. ff. d. R. I. cap. 4. n. 39. Editione. 2.*

Quæstio XVI.

An rati habitio superveniens faciat, ut loco negotiorum gestorum actionis, in tentari debeat actio mandati?

Præsuppono, quod actio negotiorum gestorum gravior sit, actione mandati, in illam enim venit & dolus, & culpa levis, interdum etiam levissima: *l. tutori. 20. C. de neg. gest. §. 1. Inst. de obl. qua quas. ex contract.* at in actionem mandati, solus dolus & culpa lata, *supr. q. 13.* Unde justa dubitatio, utra in proposito casu actio sit apta. Et moveret quem fortassis *l. semper qui non prohibet. 60. ff. de R. I. cum similibus*, ut statueret, saltem eatenus actionem mandati hîc esse competentem, quatenus rati habitio, nondû planè perfectò negotio, accessit. Verùm sententiæ isti haud obscurè adversantur *l. Pomp. 9. ff. de neg. gest. & l. 20. §. 1. mand.* Et tentabo proinde, an non melius sic definiatur, quod rati habitio æquiparetur mandato: quatenus scilicet quæritur in terminis, quibus cum tertio aliquo res fuit gesta: eo effectu, ut inter negotiorum dominum pòst ratum habentem, & eû cum quo negotium sine mandato antecedente gestum est, perinde sit ac si negotiorum gestori mandatum fuisset: non verò ut ea interpretatio fiat quoad dominum negotiorum & eum qui sine mandato præcedente negotia gessit. *vid. l. si is qui negotia. 50. ff. mand. l. 12. §. ult. ff. de solut. l. 56. de judic. & c.*

Ad

Ad

713.

Præstantissimum & literatissimum Dominum Re-
spondentem Fautorem & amicum suum
singularem.

I.

Bartolus & Baldus quidnam statuunt, alijs
Codicibus multis noscere difficile
Cum sit Contractus, quâ sint ratione ligandi,
Fasciculo hoc uno. JAN-LUDOVICE, doces.

Virtute & Eruditione insigni Juveni, Domino inqui-
lino suo per amico, pauca hæc scribit

M. MAGNUS EDEL
Gymnasij Argentor: Præ-
ceptor Classicus.

II.

Quod si nosse cupis, beatiorem
Vitam quæ faciant, magisque lætam,
Aut quantum pariant solatiorum,
Curis sæpe senilibus, Parenti
Concusso, gravibus malisque fracto
Mens nati generosa, mens amica
Virtutis, patiens simul laborum:
EBENI! tua mens sacrata Musis,
Multorum tolerans negotiorum,
Heu quantum, ipsa solatij ministrat
Patri! multus honos sequetur; hinc &
Immortalis erit, licet peremptus,
Dum talis soboles ei superstes.
Cœpisti benè, pergito, sequaris
Qui ducunt benè, post honos sequetur.

JOANNES LUDOVICUS EBENIUS

Anagramma.

DUC: BENE IUS VOLVIS

Duc: si justitia cultor vis esse benignus,

TU BENE IUS VOLVIS bene, tuq; sequaris euntes.

Amoris testandi gratiâ scripsit ANDREAS
PERLOVITZ Hung. bonarum
literarum. St.

III.

Quòd de contractu, mera quem consensio gignit,
 Differis, & mirâ dexteritate doces;
 Alma Themis pulchros fortunatura labores
 Adstringit nexu se tibi perpetuo.
 Ne Divam linquas, nexumque & vincla resolves;
 Dum solvat studijs digna brabeia tuis.

Nonne (quis negare vellet?)
 Discitur Forô emptio?
 Ergò quid tu? quin labore
 Hoc supercedes tuo?
 Sic jocos; laudoque cœptum:
 Nam conamen bonum est
 Id docere, suggerit quod
 Alma legibus Themis.

Amicitia E.

E. Andreas Newmann/LL.:

IV.

Omnia cum bona sint, sicut vulgariter ajunt,
 Ac equidem verè, clausula quando bona est:
 Tu, qui principium & medium cum fine probâsti,
 Laude mihi triplâ dignus habendus eris.
 Dum primò Argyropen oratio compta salutat-
 Ne lateant artes eloquiumq; tuum.
 Excipit hanc paulò post Dissertatio docta,
 Quam nunc consequitur clausula docta magis.
 Quâ formam justæ commonstras artis EMENDI,
 Et simul emptorem VENDERE jure doces.
 Hinc tibi grande soles doctrinâ acquirere lucrum,
 Et verè EBENI nomen habere cupis.
 Perge bonis studijs, facilem det GALLIA cursum,
 Quam nunc approperas, perge bonis studijs.
 Ut patris insistens magni vestigia, nobis
 Percharus redeas, utilis atque bonus!

Amico suo percharo Argentinâ abiturienti
 hoc VALE reliquit


Michaël Ast Campidonensis
 SS. Th: Studiosus.

F I N I S.

X 2615926

VD.17





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

QUATERNÆ 701

ONUM EX

EBUS QUATUOR:

ICET

1630/7

VENDITIONE;

CONDUCTIONE;

TATE;

ATO

ias

ncta Trinitate

fide

& Consultissimo

VIDE LOCAMERO

ET IN UNIVERSITATE

Professore Publico acutissimo

ridicæ facultatis DECANO

Fautore & Patrono suo

rituro observantiæ

sequendo,

ioni exponit Mense Junio d.

OVICUS EBENIUS

NGENSIS.

TORATI.

CHRISTIANI GLASERI,
Typographi.

OC. XXX.